

munitate, cum fratribus, propinquis, vicinis, concivibus. Hanc precati sunt angeli mundo universo in nativitate Christi : *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus*, Luc. II. Quæ quidem necessaria sit communitati, ostendit in primis Dom. Luc. XI. verbis illis : *Omne regnum in seipsum divisum desolabitur, et domus supra domum cadet*. Indivisum consequenter stabit. Hinc est quod elementa et partes universi adeo inter se cohæreant, ut una in gratiam alterius contra naturam vel ascendat vel descendat, ne dissoluta inter se intereant. Idem suis commilitonibus ingeniose demonstravit. Q. Sertorius Rom. militiæ ductor, dum equi senis et macilentæ caudam juveni robusto obtulit, uno tractu evellendam : vicissim alteram equi robusti dedit seni, non tamen uno impetu, sed sensim extractis pilis eximendam. Juvenis ergo operam suam frustra impendit, senex non difficile perfecit imperatum. Tum ille ad suos : « Vos quidem concordes et unanimes in prælium progredientes

Rom. nunquam superabunt : palantes vero et dispersos facili negotio vincent. » Frontin. IV. c. VII. contra infirmas etiam aviculas sturnos, columbas et similes nihil potest aquila vel accipiter, nec eas invadere audeat, quando turmatim conjunctimque secant aerem : at vero dissipatas ac separatas animose aggreditur et facile interceptit. Par ratio est de militibus, dum se rite cogunt, nullumque aditum ad irruptionem hostibus permittunt. Quam ob causam Ecclesia dicitur Cant. VI. *Terribilis ut castrorum acies ordinata*. Nihil etiam contra nos posset hostis sive visibilis, sive alter invisibilis, si tali pace uniti essemus. Unde Tertull. in lib. ad martyres, c. I. de ipsorum concordia scribit : *Inveniat diabolus pace munitos et concordia armatos, quia pax vestro bellum est illi*. Vos etiam, auditores, operante, ut hac pace vos munitos semper inveniat diabolus, quia vestra pax ipsi bellum et extremum est.

CONCIONES FUNEBRES.

- | | |
|--|--|
| I. Cœmeterium humilitatis schola est. | XXI. Cæremoniæ, quæ defunctis adhibentur. |
| II. Cœmeterium hortus est, sepulcra areolæ. | XXII. Ad quid in mundo mors. |
| III. Cœmeterium haceldama, seu ager sanguinis. | XXIII. Bene mortuis gratulandum. |
| IV. Sepulcra domus nostræ. | XXIV. Pius mori lucrum est. |
| V. Cœmeterium domus figuli. | XXV. Mors aperit homini oculos. |
| VI. Communis omnium domus cœmeterium. | XXVI. Mors optimus prædicator. |
| VII. Sepulcra monumenta, quia monent mentem. | XXVII. Justorum mors pretiosa, peccatorum pessima. |
| VIII. Mausolæum Macchabæorum exponitur. | XXVIII. Quid agendum ut bene ac placide moriaris. |
| IX. Aliquot symbola sepulcris inscripta. | XXIX. Triplex ad mortem dispositio. |
| X. Qualem pacem precamur defunctis. | XXX. In Domino qui moriantur. |
| XI. Qua ratione corpora piorum in pace sepulta sint. | XXXI. Mortis tyranni. |
| XII. Commendatur sepultura christiana. | XXXII. Cur tam multi ante maturam ætatem moriantur. |
| XIII. Cur in locis sacris sepeliri deceat Christianos. | XXXIII. Cur quandoque etiam justis acerba et violenta morte occumbant. |
| XIV. Pompa funebris ad quid? | XXXIV. Cur subinde justis immatura ætate e mundo eripiantur. |
| XV. Qua ratione lugendi non sint defuncti. | XXXV. Repentina mors bonorum non censenda inauspicata. |
| XVI. Immoderatus luctus vario ex capite reprehendus. | XXXVI. Subitanea et improvisa mors quibus potissimum imminet. |
| XVII. Particularia solatia plangentium suos defunctos. | XXXVII. Mortis horam cur incertam esse Deus voluerit. |
| XVIII. Juvandos esse potius defunctos quam defensos. | |
| XIX. Plures alii stimuli ad succurrendum animabus purgantibus. | |
| XX. Quibus mediis eripiendæ e purgatorio animæ. | |

CONCIO I.

COEMETERIUM HUMILITATIS SCHOLA EST.

THEMA.

Apprehendam te et ducam in domum matris meæ, ibi me docebis. Cant. VIII.

Dum vos contemplor, auditores, hoc sacro in loco congregatos, magnaque cum modestia, attentione, atque animi compositione circumstantes, videre mihi videor discipulos in schola sub oculis magistri et quidem serii ac severi constitutos, ad excipiendam ejus doctrinam præparatos. Neque vero dictum hoc offendat aures vestras; sumus enim in loco, in quo nobis mortui tradunt doctrinas, quas velut rudes pueri minime didicimus et perdifficile addiscimus. Severi profecto et asperi doctores, ut proinde cœmeterium non nisi schola puerorum sit. Ita enim loquitur S. Chrysost. hom. de fide et lege nat. et spir. cum ait : « Ante portas sunt sepulcra,

ante agros sunt sepulcra, ubique ante oculos est nostræ humilitatis schola, et docemur in quid desinamus tandem, et videmus qualia futura sint phantasmata. » Nec vane huic scholæ accommodare possumus, quod Cant. VIII. sponsa ad sponsum loquitur : *Apprehendam te et ducam in domum matris meæ, ibi me docebis*. Quibus verbis Salomonis sponsa, filia Pharaonis grammaticali sensu, quasi in actione comica Salomonem alloquitur, ut observat Honorius Augustodunensis. Et quorsum dicere vult Salomonem. *Ad domum matris suæ?* Communis autem mater omnium terra, domus vero sepulcrum est, juxta id Psal. XLVIII. *Sepulcra eorum domus illorum in æternum*. Ibi nos docebit Salomon in sepulero inquam, quasi in domo seu cathedra funestæ hujus scholæ, cœmeterii. Quid vero nos doceat cum defunctis aliis hic sepultis, breviter audiemus.

I. Ait : *Ecce quid est homo? Quid sunt reges terræ? Pulvis nimirum et cinis, in quem omnes resolvimur; nec tamen id cordi habemus; sed*

quasi immortales et dii quidam essemus, securi degimus et super alios nos efferimus, nostræque vilitatis obliviscimur.

Quid enim nobis de Salomone, quid de aliis regibus terræ superest, nisi cinis? Audiamus ipsummet de se loquentem Sap. VII. *Et ego, inquit, natus accepi communem aerem, et in similitudinem factam decidi terram.* Cur in terram, nisi quia prævidit se in terram iterum rediturum juxta id Lucretii, l. VI. « Quoniam dubio procul esse videtur omniparens eadem rerum commune sepulcrum. » Audiamus de hoc Chrysost. loc. cit. « Circa sepulera philosophamur, inquit, videntes ossa nuda, et humanam naturam corrosam et dissolutam : cogitamus statim et inter nos disputamus, dicentes : Ecce quid tandem ex nobis fit? Et quo abimus? Confabulamur, egredimur de sepulcris ; et humilitatis nostræ obliviscimur. Apud sepulera ita unusquisque proximo loquitur o miseram, o miseram nostram vitam ! Quid tandem ex nobis fit? Quamvis autem sic loquamur, rapimus tamen ipsi, et licet sic clamemus, injuriam tamen nostram ulciscimur. Omnes enim plane ita philosophamur, quasi malitiæ renuntiaturi. Et intus quidem tam pios sermones tractamus : egressi autem, Deo adversarii sumus. » Verum profuit nonnullis fuisse in hac schola, uti Francisco Borgiæ, Gandiæ duci, qui cum Isabellæ Augustæ, Caroli V. conjugis speciosissimæ corpus emortuum deduxisset ad regii sepulcri locum, idque priusquam tumulo inferretur, aperto sarcophago, inspexisset fœtore jam et horrore plenum ; cogitansque quam exiguus tumulus sceptrâ, tot coronas ac regiam illam majestatem clauderet, toto pectore cohortuit, mundoque valedicere ac Deo in posterum servire constituit. Id quod et fecit, cum societati nostræ se addixit, sæpius postea asserens : *Augustæ mors mihi vitam attulit*, Ribaden. l. I. vitæ, c. IX. Quando igitur homo quisque talem se futurum cernit : *Quid superbit terra et cinis?* ait Ecclesiasticus, c. X. Et S. Bernardus, in sententiis : « Tria hæc, inquit, semper in mente habeto : Quid fuisti, quid es, quid eris. Quid fuisti? Sperma fœtidum. Quid es? Vas stercoreum. Quid eris? Esca vermium. »

II. Ait : Ecce *quantillus* es ! Tantus nimirum quantum est sepulcrum, septem fere spithamaram, qui tamen dum vivis, tantus tibi videris, ut spatioiosa etiam terra vix capere te possit. Unde S. Ambrosius, l. I. de Naboth. c. I. ait : « Nudos recipit terra, quos edidit ; nascit fines possessionum sepulcro includere. Cespes angustus æque et pauperi abundat et diviti ; et terra, quæ viventis non cepit affectum, totum jam

divitem capit. » Agnovit hoc Philippus imp. christianus, vel ex sepulcri visæ similitudine. Cum enim in hippodromo delapsus ab equo fuisset, et resurgens locum, quo in arena jacuerat aspexisset, ait : *Ecce quam exigua nos arena capiet, qui totius orbis imperium stulte affectamus.* Refert id Majol. in coll. canic. tom. IV. coll. IV. Memor nimirum erat loculi, qui aliquando mortuum elaturus esset in sepulcrum. Eadem sepulcri angustia docere, et a nimia auri cupiditate coercere volens Constantinus Magn. imp. quemdam e suis, aliquando prehensio dixisse fertur : *Quousque tandem, o bone, inexcipibilem hanc avaritiam cumulamur?* Deinde hasta, quam manu tenebat, humi descripta humani corporis forma : *Omnes, inquit, vitæ divitias et totius orbis opes si haberes, tamen plus hoc a me circumscripto loculo non possidebis, etsi illud forte possederis.* Ita refert Eusebius, lib. IV. vitæ, cap. XXIX. et XXX. Bene igitur S. Augustinus in sententiis sent. ult. « Divitias (inquit) flores majorum nobilitate jactas et exultas de patria, ac pulchritudine corporis et honoribus, qui tibi ab hominibus deferuntur, respice teipsum, quia mortalis et quia terra es, et in terram ibis. » Notum illud prætereo de Alexandro M. dictum vulgo : *Heri totus mundus non sufficiebat Alexandro : hodie defunctum terra seæ pedum capiet.*

III. Ait : *Ecce quid sunt omnia illa, quæ in mundo habuisti, æstimasti et adamasti?* Quid et ubi jam sunt illæ tot amasiæ Salomonis? Ubi ejus splendor et magnificentia? Ubi palatia et divitiæ? Ubi omnes deliciae? Una cum ipso in tumulo omnia sepulta et putredine consumpta sunt ; quia etiam ad extremum, ut Dio Cassius, in Hadriano scribit : « Ipsum etiam Salomonis sepulcrum, quod illi in supremo cultu et reverentia habebant sponte et nullo impellente discussum corruit. Fuit Salomon omnium regum felicissimus et opulentissimus atque prudentissimus, » ut ait Josephus. Omnis tamen illa felicitas, opulentia et sapientia una cum ipso in sepulcrum, imo et cum ipsis et sepulcrum concidit. Prius cum in vivis esset, ab omnibus quærebatur, consulebatur, suspiciebatur : clausus in sepulcro oblivione sepultus est. Poterat de illo dici, quod de statua Beli aurea Daniel dixit Babyloniis, postquam eam destruxit, et intrinsecus luteam ostendit : *Ecce quem colebatis!* Græce : *ecce numina vestra*, Dan. ult. Quid sunt tot illæ jam Salomonis concubinae? Quid cantores et cantatrices? Quid horti et palatia? Pulvis et lutum. Ecce numina ejus ! Similem catastrophæ spectavit aliquando Romæ S. Augustinus una cum matre sua in sepulcro quodam Cæsare,

uti ipse ser. XLVIII. ad frat. in eremo scribit : « Ductus sum (inquit) Romæ cum cæteris ad videndum cadaver Cæsaris in sepulcro, et vidi quod omnino esset livido colore ornatum, putredine circumdatum, ventrem ejus diruptum, et vermium per illum catervas transeuntes prospexi. Duo quoque famelici in foveis oculorum pascabantur : crines ejus non adhærebant capiti, dentes ejus apparebant labiis consumptis, et revelatum erat narium fundamentum, et intuens matrem christianissimam dixi : Ubinam est Cæsaris corpus præclarum? Ubi magnitudo divitiarum? Ubi apparatus deliciarum? Ubi multitudo dominorum? Ubi caterva baronum? Ubi acies militum? Ubi canes venatici? Ubi equi veloces? Ubi aves cantantes? Ubi thalamus pictus? Ubi lectus eburneus? Ubi thorus regalis? Ubi thronus imperialis? Ubi mutatoria vestimentorum? Ubi capilli solares? Ubi facies decora? Ubi omnia quæ sub cælo sunt? Te namque verebantur homines, et timebant principes, te colebant urbes, te timebant omnes. Ubinam sunt hæc omnia? Quo recessit tanta jaectantia? Et respondit mater pietate plena : Fili omnia sibi pariter defecerunt, quando defecit spiritus ejus, et dereliquerunt eum captivum in sepulcro trium brachiorum, plenum fœtore et putredine. Eia ergo fideles Christi, considerate quid jam sumus. » Itaque Cæsar ille dum viveret et regnaret, quasi numen aliquod colebatur et honorabatur : at vero ubi mors eum corripuit, tristissimum omnibus spectaculum, imo et mundo ludibrium, horror et abominatio factus est : omnis ejus splendor et majestas evanuit, et nihil fuisse sepulcrum ejus ostendit. Monstrarunt aliquando Christo Domino discipuli ejus templi Salomonici decorem et magnificentiam : *Magister, aiebat unus, aspice quales lapides! Et quales structuræ!* Verum Dominus nihil hæc moratus : *Vides, inquit, has omnes magnas ædificationes? Amen dico vobis : Non relinquetur hic lapis super lapidem, qui non destruetur*, Matth. XXIV. et Marc. XIII. Hunc in modum nos miramur sæpe potentiam, opulentiam, speciem, pompam, felicitatem magnatum hujus sæculi, et beatos illos prædicamus. Verum aspiciamus eos paulo post in sepulcris conditos ; et videbimus id, quod Christus de templo prædixisset, omnem eorum magnificentiam corruisse, *nec mansisse lapidem super lapidem*, non os superesse : rudera tantum ossium indigesta superesse. Quid ergo hæc miramur, quæ cinis in sepulcro nulla fuisse ostendit?

IV. Ait : *Quantus et quam potens ac timendus est Deus, qui mortales omnes et potentissimos quos-*

que deprimere et in terram sternere potest, ut nemo ab ejus imperio se subducere, nemo ejus potentia resistere queat! Omnes enim quotquot ante nos fuerunt, sub pedibus ejus jacent, prostrati in sepulcro. *Lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiabant et fortissimi Israel, omnes tenentes gladios et ad bella doctissimi*, ut dicitur, Cant. III. et tamen eum a morte defendere non potuerunt. Ita sexagenarius gravi ex mœstitia mortuus est, ut ait Valerius Anselmus, in suo annorum et principum catalogo ; idque indicant extrema illa sui Ecclesiastæ verba, quibus juvenes suo exemplo hortatur : *Memento creatoris tui in diebus juventutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis, et appropinquant anni, de quibus dices : Non mihi placeant, Ecclesiast. ult.* Validissimam hanc Dei manum, qua potentes quosque sternit, agnovit in extrema vitæ meta Lotharius rex Franciæ, cum dixit : *Hem quam magnus ac potens est Rex ille cælestis, qui reges terrenos lenta morte de solio deturbat, humique prosternit!* apud Corozzettum, de dict. et fact. memorab. Quam etiam ob causam Maximilianus I. imperator moriens pie et laudabiliter mandavit, ut quando inter vivos esse desiisset, cadaver suum omni hominum sorti conspiciendum proponeretur. *Ut ita, aiebat, vel meo exemplo discant omnes, nulla diademata, opes nullas, nulla imperia a morte eripere possidentem*, Reinh. Hadamar. in instit. princ. Quare magnifica illa magnatorum mausolea non tam ad ipsorum, quam ad Dei gloriam structa sunt : illius enim loquuntur potentiam, cui omnes cedere et subijci coguntur ; hominis vero infirmitatem, qui omnibus suis opibus viribus et consiliis salvare se non potest. Cæterum quod maxime omnium genus humanum deprimit, est, quod morte obita sistere se Dei judicio et incertam ejus aleam subire debent, sive magni illi sint, sive parvi. Sane de Salomonis salute totus adhuc mundus dubitat, siquidem Scriptura peccata quidem ejus commemorat, de poenitentia vero nihil clare edisserit, sed præcise mortuum et sepultum ait, ac proinde de perditione ejus justum nobis dubium relinquit. Nimirum is, dum in vivis ageret scholam hanc humilitatis raro aut nunquam frequentavit. Unde nec sepulcrum pro recepto regum more sibi struxisse legitur, sed in patris dumtaxat sepulcro conditus est. Quare beatos illos jure merito censemus, qui dum vivunt, in hac humilitatis schola diligenter se exercent, sibi que adeo monumentum viventes extruxerunt non jam in cœmeterio, quam in cordis sui domicilio, per assiduam mortis humilitatis suæ meditationem. Cujusmodi imprimis erat S. Joannes Eleemos. Alexandrinus

archiepiscopus, qui viventi sibi curavit extrui monumentum, sed imperfectum relinqui, deinde operum præfectos, cum celebrius festum incidisset, accedentes omni clero adstante sibi insonare: *Venerande præsul, monumentum tuum hodieque incompletum manet, jube ergo illud perfici, cum incertum sit qua hora sur venturus sit.* Ita Leontius, in ejus vita. Simili industria Carolus V. imperator sarcophagum sibi construi jussit, secumque deportari, quocumque iter ageret, ac penes se quinque annis habuit, velut rem sibi charissimam, in mortis videlicet suæ constantem memoriam. Id quod et avus ejus Maximilianus I. imp. quadriennio antequam vita excederet, fecit, uti refert Lipsius, l. II. monit. polit. « Alios memini, inquit S. Chrysost. l. I. de compunctione, in ipsis defunctorum suorum sepulcris habitaculum posuisse, atque inibi vitam similem transegisse. » Quin etiam Constantino poli in usu fuisse ut imperatori recens coronato, quidam coram eo repræsentarent tria aut quatuor lapidum genera, jubereque eligere, de quo genere sibi fieri sepulcrum vellet, refert Dyonisius Carthusianus, l. IV. novis, art. XIV. Æthiopum quoque christianorum summis præsulibus vas aureum terra repletum, cujus aspectu memor esset sepulcri sui, præferri solitum, auctor est Sabellicus, l. IV. cap. IV. Quodque admirabilis est, Brachmanes etiam seu Gymnosophistas ante ædium suarum vestibula tumulos sibi aperuisse, ut eas ingressuri egressurique evocationis suæ ex hac vita meminissent. Omnes isti scholam hanc humilitatis ideo frequentarunt, ut bene beateque mori in ea discerent.

Quod cum et hunc defunctum, cui justa nunc persolvimus, fecisse in vita sua non dubitemus, (quinimo ex multis argumentis N. B... perspectum habeamus) est profecto cur de ejus æterna salute partaque cælesti corona, quam optime speremus. Quia tamen alia Dei sunt judicia, alia hominum; et in ipsa etiam virtutis schola subinde dormitamus, et minus ad magistri præcepta attendimus, unde plagas aliquas meremur; idcirco videtur hic defunctus non solum admonere nos, ut in hac, quam diximus, schola sedulo proficiamus: sed etiam preces nostras efflagitare, quibus adjutus in altera vita, et a pœnis, si quas forte in hoc sæculo contraxit et nondum expiavit, liberetur, et ad cælestes triumphos sine remora admittatur.

CONCIO II.

COEMETERIUM HORTUS EST, SEPULCRA AREOLÆ.

THEMA.

Erat hortus, et in horto monumentum novum.
Joan. XIX.

Quando per æstatem recreare cupimus animum, hortos intramus, propterea quod in illis omnium fere sensu delectatio reperitur: visus in virore et vario florum colore; auditus in avium cantu; gustus in dulcedine fructuum; odoratus in rosam aliorumve florum fragrantia; tactus denique in denso gramine, dum in eo corpora nostra sternimus ad capessendum somnum. Quæ cum ita sint, quid sibi, quæso, vult, quod Hebræi fere in hortis sepulcra sibi struxerint? Ita enim *Manasses rex sepultus est in horto domus suæ, in horto Oza, IV. Reg. XXI.* In evangelio etiam legimus *Josephum ab Arimathæa excidisse sibi sepulcrum in horto suo, in quo et Christum sepelivit, Joann. XIX.* Quid horto cum sepulcro? Quid sepulcro cum horto? Hortus enim locus est lætitiæ et deliciarum: sepulcrum vero locus mœstitiæ et lacrymarum. Hortus dicitur quasi ortus, quia in eo oriuntur pulcherrima quæque germina: sepulcrum vero appellatur locus non pulcher, quasi sine pulchro. An forsitan Hebræi, et imprimis Christus sepulcro suo hortensi mundi hujus delicias temperare, et mortis memoria quasi condire voluit, ut dum illis fruimur, ad sepulcrum nostrum respiciamus, quod finem et quidem luctuosum illis imponet? Ita mihi persuadeo; quia sancta hæc et salubris est cogitatio miscenda voluptati, quasi aqua vino, ne in nos mergamus et damnum patiamur. An fortassis ideo, quia fidelium corpora in sepulcro seminata, quemadmodum semina in horto, resurrectionem præstolantur, ac velut speciosæ arbores aliquando prodibunt? Ita sentit Guarrius abbas, in sermon. de Script. utilit. *Et si sepulcra in hortis, inquit, numquid tamen horti in sepulcris?* Ita fortassis, sed in sepulcris justorum. Ibi plane vernabit gratissima quædam amenitas sanctorum, verno scilicet illo tempore. Resurrectionis eorum, cum reflorebit caro eorum et non solum ossa justi *sicut herba germinabit, sicut lilium et florebit in æternum ante Dominum.* Jam si cœmeteria, imo et mundus totus est quidam hortus, utique sepulcra singulorum erunt quasi areolæ in horto.

I. In horto eriguntur areolæ, in quibus semen spargitur in terram, eademque operitur. Pari modo in cœmeterio eriguntur tumuli, quibus

operiuntur injecta mortuorum corpora, velut semina, suo tempore germinatura, et si sint justorum, cum nova et gloriosa specie resurrectione. Tumulus vero appellatur sepulcrum, quasi tumens tellus, estque velut tumidus terræ uterus, qui nos a tumente matris utero excipit; uti Job agnovit, cum dixit, c. I. *Nudus egressus sum de utero matris meæ, et nudus revertar illuc.*

Quomodo illuc? Utique in alterius et primæ nostræ matris, terræ videlicet uterum consimilem ei, qui nos genuit. Unde Sanctus Gregorius Nazianzenus, in carm. de hom. ext. vilit. canit: *A tumulo tumulum peto.* Quia nimirum Deus omnibus nobis dixit: *Terra es et in terram ibis.* Solent ludentes pueri, cum quis eorum erravit, errantem vocare ad pœnam, et clamare: *Ad tumulum, ad tumulum:* adductumque per capillos trahunt. Omnes nos in Adamo peccavimus, erravimus quasi oves omnes; ideo ad tumulum citamur, et trahimur quasi per capillum. Areolas hortorum Germanico idiomate appellamus *lectulos*, quod lectulorum similitudinem referant. Et tales sunt sepulcorum tumuli, lectuli inquam, in quibus dormiunt et requiescunt eorum corpora, donec resurgant juxta id Apocal. XIV. *Beati mortui qui in Domino moriuntur. Amodo jam dicit Spiritus ut requiescant a laboribus suis; opera enim eorum sequuntur eos.* Quibus ultimis verbis ratio affertur, cur requiescant justis in altera vita, quia scilicet secum ferant lectulos suos conflatos ex bonis operibus, quasi e plumis. Qualem ergo quisque sibi paraverit lectum ex operibus suis, talem habebit et requiem; juxta paræmiam nostram. Ita enim apostolus ad Galatas VI. ait: *Nolite errare, Deus non irridetur:* (sicut fit ab hæreticis, qui bonis operibus mercedem æternam detrahunt, eaque inutilia, imo peccata) *quæ enim seminaverit homo, hæc et metet. Quoniam qui seminavit in carne, (eam vovendo deliciis et voluptatibus vitæ) de carne et metet corruptionem: qui autem seminavit spiritu (spiritum fovendo et impinguando bonis operibus) de spiritu metet vitam æternam.* Hoc intelligens S. Ida comitis Egberti, viri in aula regis Francorum primarii, vidua, sarcophagum sibi marmoreum paravit, et quotidie bis panibus variisque esculentis implebat distribuendis nimirum in pauperes. Sic ipsa sibi lectulum suum piis eleemosynæ plumis replevit, ut in sepulcro suo molliter cubaret. Idem egere Sanctus Anselmus archiepiscopus Cantuariensis. Et Sanctus Hugo abbas Cluniacensis. Nocte enim, qua ambo mortui fuere, vidit abbas Noviomensis duos lectulos ab angelis in cælum deferri, qui molliori cultu sollicitudinis oblivionem et somnum provocarent. Angeli autem, qui lectos defe-

II. PARS HIEMALIS.

rebant, hujusmodi clamabant verbis: « Duos illustres viros in his collocabimus lectis, Anselmum scilicet Cantuariensem archiepiscopum atque Hugonem Cluniacensis abbatem monasterii, qui post terras cælum, post labores requiem, gaudium post lacrymas meruerunt. » Post hæc abbas retulit visionem fratribus et deprehensum ambos illos sanctos ea nocte obiisse. Erant autem hi duo viri ss. operibus misericordiæ addictissimi. *Anselmus supra posse etiam,* ait Edinerus, in ejus vita, *in pauperes profusus fuit.* Hugo vero circa lectulum suum maximam vestium congeriem semper habebat, quas ipse in usum pauperum sarciebat ac resarciebat, panes quoque et carnes quas illis distribuebat.

II. In horto etiam supra areolas defiguntur styli lignei, et his insertæ schedulæ, designantes seminum injectorum species seu nomina: quo modo etiam supra tumulos crucem infigimus cum inscriptione nominum et imagine eorum, qui ibidem requiescunt, ut memoriam eorum conservemus, et ad preces pro eis fundendas ipso aspectu excitemur, ii præsertim, quibus vel necessitudine aliqua conjuncti, vel aliunde noti erant, ac præsertim ut noverimus, quod catholici Christiani fuerint, qui sub vexillo crucis militarint in hac vita. Hic enim est *character agni in fronte Christianorum, hoc signum Thau in postibus Hebræorum, servans eos a percutiente angelo.* Hujusmodi signum seu titulum erexit Jacob supra sepulcrum Rachelis suæ cum inscriptione: *Hic est titulus monumenti Rachel,* Gen. XXXV. Videant hic acatholici, quam antiqua et pia sit hæc cæremonia. Audiant et miraculo comprobata, teste Probo in vita S. Patricii, Hibernorum apostoli, l. II. apud Bedam, tom. III. Venerat is in campum juxta insulas Hiberniæ, invenitque ibi signiculum crucis juxta duo nova sepulcra infixum. Quare e curru suo proclamans ait: *Quis hic sepultus est?* Tum vox e sepulcro sic respondit: *Ego sum gentilis homo et paganus. Cur igitur, inquit sanctus, crux Christi juxta te infixa est?* Ad hoc iterum vox de sepulcro: « Quia vir, qui sepultus juxta me est, christianus fuit, rogavitque pater ejus, ut hoc signum crucis poneretur juxta sepulcrum filii, sed vir quidam fatuus et insensatus posuit juxta me. » Quod audiens Patricius, exiit de curru, abstulitque crucem de gentilis tumulo, et infixit sepulcro Christiani. Fabulosum hoc clamabant hæretici. Sed quis credat de viro sancto, tot mirabilium patratore, qui sexaginta annis in Hibernia concionatus, et S. Martini discipulus fuit, uti Probus asserit? Mortuus vero est anno 491. ut scribit Baronius. Ex quo claret, quam antiquus adeoque observandus sit hic ri-